

ILLUSTRISSIMO DOMINO, D. JOANNI Commiti De MIDLETON, Baroni de *Claremont*, *Fettercairn*, &c. CAROLI Secundi serenissimi *Britanniarum* Regis apud *SCOTOS*, Proregi.

DE

Miranda prorsus Divinæ Providentiæ in nuperis *Britannorum* motibus œconomiâ qualecunque Carmen hoc Elencticon Eucharisticon humillime Nuncupat, dicat & dedicat,

Subservientum obsequentissimus, *D. F.* satelles Regius.

SIquis erit nulli superûm Mortalia curæ
Qui putet esse, animo Justum quòd viderit ægro
Justitiâ periiesse suâ: quòd milite cinctos
Multiplici, ut populi sic Regum sanguine pastos.





Α᾽φρήτωρ, α᾽θέμιστος, α᾽νέστιος ᾽ἐστὶν ἐκεῖνος
Ο῾ς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος.

Homer.



40



ILLUSTRISSIMO DOMINO,

D. JOANNI
Commiti De
MIDLETON,
Baroni de *Claremont*, *Fettercairn*, &c.
CAROLI
Secundi serenissimi *Britanniarum* Regis apud *SCOTOS*, Proregi.


DE

Miranda prorsus Divinæ Providentiæ in nuperis *Britannorum* motibus œconomiâ qualecunque Carmen hoc Elencticon Eucharisticon humillime Nuncupat, dicat & dedicat,

Subservientum obsequentissimus, *D. F.* satelles Regius.

SIquis erit nulli superûm Mortalia curæ
Qui putet esse, animo Justum quòd viderit ægro
Justitiâ periiesse suâ: quòd milite cinctos
Multiplici, ut populi sic Regum sanguine pastos.

A 2 *Desinat*



Desinat ut merito sic indulgere dolori
Amplius is; lustris (fera queis regnabat Erinnys,
Sæviit, in miseros quibus & Catilina Britannos)
Quattuor, elapsos si noverit addere menses
Nuper bis denos; Domini Cœlique solique
Dextera quêis trifido circundata fulmine vindex,
Prodit in immanes & sæcli & Numinis hostes.
Usque adeò ut quisquam, cui mica in pectore salis
(Corporis atque animi pariter nisi lumine prorsus
Privetur) cernat, fateatur & asserat audax.
Non quæ dispensant mortalia fata sorores
Lubrica, non sortis qui sistere nescius axis,
Non super Æthereum labentia sidera tractum
(Vafra licèt stolido ars imponat sæpe popello
Astrologi) ast solus Mundi moderatur habenas
Mundi Opifex: Terram immoto qui cardine fixit
Circumquàque suo Libratam pondere; fluctus
Volvere perpetuos quique imperat æquora; nubes
Aëra qui densas & fulmina cogere, Cœlum
Qui lucem alternis jussit variare tenebris.
Auspice Quo, rigido vesana superbia fræno
In proceres plebemque furens cohibetur inermem:
Dum Pietas Patriis resplendet Regia sceptris.
Musa, mihi causam enarres! quo crimine læsa
Majestas divina sacrum tot volvere Regem
Casibus (heu!) voluit, tantos & adire labores,
Cladibus infractum, insigni pietate celebrem?
Qui tamen invisas cecidit (proh!) victima ad aras.
Scilicet, an? quia Rex nocuorum semine Patrum
Editus: idcircò soli delicta paternæ
Exolvenda domûs illi, noxæ & licet omnis
Criminis immuni: veluti Mendacia fratrum
Sarcophagûm occæcant incautum dogmata vulgus,
Immemorum gnati dentes non esse nocendos,

Quos patris ingluvies botris exederit acreis.
Sic etenim Abramidas docuit Sapientia *sontes.*
Principe nùm potiùs, nulli ut pietate secundo,
Poscit ab innocuo Populi Commissa rebellis
In Sese effigiemque Sui *Deus Optimus orbis*
Arbiter. Interea Nemesis non linquit inultos
Oblitos Legis Divinæ & Fœderis icti
Cum * Rege *& Patribus; quorum virtute tot annos,* Carolo I.
Legitimo subdit dum colla Britannia fræno,
Audierat cunctas inter celeberrima gentes;
Quæ post excisum Regem *, legumque pudorem,*
Sacraque quotidiè manibus laniata prophanis,
Audierat cunctas inter vilissima gentes.
Quid? quod, ut ambitio peragenda ad civica Regni
Munia Sacrificos olim impulit: ilicò præceps
Et Populum & Proceres Mystas ut & inferiores
Invasit tumidos tanta indignatio; ut ipsos
Arcuerint sacriis vix dicto crimine Patres.
(Dum nemo officiis (Miserùm !) vel consulit annis)
Sedibus expellant, & res & Prædia sacra
Usibus adsignent, prohibente & Lege, prophanis.
Hinc creperi motus, hinc belli semina: tandem
Ira Dëi toties offensi è sede silentum
Evocat infernas supera ad convexa Sorores.
Hinc nostras Astræa Auras relliquit, & unà
Pïerides, suffecta quibus stirps horrida Ditis.
Fallax lingua, Manusque rapax, animusque dolosus,
Ambitioque tumens, & amor sceleratus habendi,
Præstagiæ, insidiæquæ, libido infanda patrandi,
Sacrilega Impietas, scelerum monstrosa Voluptas,
Furta, latrocinium, Cædes, scelerique datum Jus.
Usque adeò, ut siquis generoso pectora Honesto,
Insculptus, Patriam miseratus, & omnis egenum
Auxilii Patrem *Patriæ, se opponere morbo*

Gliscenti

Gliscenti promptum obtulerit: qui vindice ferro
Asserat ut Regum sic jura sacerrima Legum:
Dum vitium in pretio, virtus pro crimine habetur,
Fucus & innocuos perimit, vis effera leges;
Huic Polyphemigenis litandum sanguine Sanctis.
Hinc lachrymæ, hinc gemitus: altaria fœda Gygantum
Usque calent Procerum dum sanguine: sparsa per Urbes
Heröis dum membra adytis sacranda, Rosarum
Mons meritos cui dat titulos: Molimina cujus
Grandia nulla unquam potis est abolere vetustas.
Irrita dehinc quoties nostræ conamina Gentis
Reddidit (heu!) nimium justa indignatio Divûm?
Sanguine dehinc quoties liquidos infecimus amnes?
Templa cadaveribus captivi implevimus? agros
Ossibus? & postquam defessus cædibus hostis;
Oppida quot spoliata? suis viduata colonis
Arva? quot ad solas trajecta per æquora terras
Transmisit juvenes livor trucis improbus hostis.
Car. II. Interea eximium virtute & robore CARLUM, *
Monstrorum elapsum manibus Duce Numine sævis,
Incolumem externis Domini Clementia terris
Protegit alarum valido sub tegmine: donec
Fracti animo Proceres, miserâ & cum plebe sacerdos,
Servitii juga dura tetri tot turpiter annos
Perpessi, sacras exuta licentia leges
Quot Majestati est ausa oggannire supremæ;
Vix, Dominum miseris imploravere querelis;
Quum sibi dilectum Regem tot casibus actum
Reddidit indemnem, per tot discrima vectum,
Qualiter, ut salvum spectatur in ignibus aurum:
Qui tandem afflicti populi bene consulat arctis
Albemarle. Rebus, & egregii auspicio id Ducis, * aurea cujus
Nomina Posteritas panget, dum sidera lucent.

Tu

Tu *quoque quem magno & merito cumulavit honore,*
Scilicet ut Bello *illustrem , sic* Pace *verendum ,*
Rex *inter* Reges *Clarissimus , inclyte* Prorex,
Macte praes Scotis. *Quibus haud tanto esset honori ,*
Atria imaginibus quod fulgent ampla paternis.
Magnificis aut fasti ausis: ni lapsa per auras ,
Ad nostras redieusque oras , sanctique senatus
In medio residens propriis Diva *imicet armis*
Simbellâ & gladio, quod justum est cuique rependens.
Publica *solùm animo volventes* Commoda *quae Vos*
In commune hortans socias extendere curas;
Edocet *, immemores neque* Vos, *Quid* Scotia *supplex ,*
Tam variis exhausta malis , labefacta ruinis ,
Postulet : à Vobis *quid & Indulgentia tanti*
Principis : & soboles : Domini *quid & exigat aedis.*

FINIS.

ERRATA.

P. 3. l. 3. lege *Comiti*. l. 8. *dele* (,) l. 16 *periisse*. p. 5. l. 29. *præstigiæ*. l. 34. *auxilii*. p. 6. l. 24. *feri*, p. 7. l, 7. *rediensque*. l, 8. *emicet*.